



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Corollarium præcedentis doctrinæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

73. Secundò, Sicut in Christo, ratione conjunctio-
nis animæ eius ad Verbum, non potuit esse fo-
mes peccati, ita nec in illo potuit esse error tam
speculativus, quam practicus; & tamen non ob-
stare hac impossibilitate erroris, ponuntur in
eius intellectu scientiæ acquisite naturales, ad
actum scientificum faciliter elicendum, ut infra
parebit: Ergo pariter, non obstante impossibilitate
fomitis in Christo, in eo poni debent virtutes
per se acquisite, ad faciliter elicendum actum na-
turalem honestum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

74. **O**bjicies primò contra primam conclusio-
nem: Virtutes infusæ in Christo sunt super-
flue: Ergo non dantur. Consequentia patet, et-
enim gratia non minus abhorret à superfluo,
quam natura. Antecedens verò probatur. Virtu-
tes infusæ ponuntur in potentiis animæ, ut facul-
tatem præstent bene operandi in ordine superna-
turali: Sed Christi anima hanc facultatem perfe-
ctissimè habuit ex unione ad Verbum, cum ex illa
reddita fuerit impeccabilis: Ergo virtutes infusæ
in Christo sunt superflue.

75. Respondeo negando Antecedens, ad cuius pro-
bationem, concessâ Majori, nego Minorem: ut
enim Verbum Divinum præstaret illud quod vir-
tutes infusæ præstant, & facultatem ac facilitatem
præberet potentiis animæ Christi bene operandi
in ordine supernaturali, deberet ipsi uniti in ra-
tione principij operativi quo, subindeque illas in-
formare, quod implicat, ut articulo præcedenti
ostensum est.

76. **O**bjicies secundò contra secundam conclusio-
nem: In Christo non fuerunt illæ virtutes quæ
habent repugnantiam cum statu beatitudinis: Sed
virtutes morales acquisite sunt hujusmodi: Ergo
non fuerunt in Christo. Major patet, Christus
enim ab instanti suæ conceptionis fuit beatus, Mi-
nor probatur. Illæ virtutes habent repugnantiam
cum statu beatitudinis, quæ non remanent in pa-
tria; cum enim beatitudo sit status omnium bono-
rum aggregatione perfectus, beati possident om-
nem perfectionem statui beatitudinis non repug-
nantem: Sed virtutes morales acquisite non re-
manent in patria, ut docet S. Thomas in 3. dist.
33. quæst. 1. art. 4. & ad Annibaldum ibidem quæ-
st. 1. art. 5. Ergo cum statu beatitudinis repug-
nantiam habent.

77. Respondeo, concessâ Majori, negando Mino-
rem, ad cuius probationem, negatur etiam Mi-
nor; nam ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 67. art.
1. virtutes morales manent post hanc vitam in pa-
tria. Ibi autem S. Doctorem loqui de virtutibus
naturalibus & per se acquisibilibus, manifestum est,
nam loquitur ibi de virtutibus cognitis à Philoso-
phis, qui nihil de supernaturalibus cognoverunt.
Ratio etiam suffragatur: licet enim in patria non
remaneat id quod materialiter se habet ad virtu-
tem moralem, ut delectationes ciborum & vene-
reotum, neque timor aut audacia circa pericula
mortis, neque etiam distributiones & commuta-
tiones rerum quæ veniunt in usum præsentis vitæ;
remanet tamen id quod est formale in ipsa virtu-
te, nempe electio recta secundum ordinem ratio-
nis, circa honestatem & medium talium passio-
num; seu ut alij dicunt, remanet quantum ad
actum primum & internum illius, non verò
quoad secundarium, & externum. Et in hoc sen-

Tom. IV.

A su intelligendus est D. Thomas cum locis citatis
asserit, virtutes morales non remanere in beatis;
hoc enim verum est de virtutibus moralibus, quan-
tum ad id quod de materiali se habet in illis, vel
quantum ad actum illarum secundarium; non
verò quoad id quod de formali important, &
quoad actum primum & internum ipsarum.

Objicies tertio: Virtutes morales acquisite po-
nuntur ad refræandas passiones immoderatas:
Sed hæc passiones nunquam fuerunt, imò nec po-
tuerunt esse in Christo, cum illæ oriantur à fomi-
te, qui in Christo hæc fuit, nec esse potuit: Ergo
in Christo non fuerunt virtutes morales acqui-
sitæ.

B Respondeo virtutes morales acquisite poni ad
refræandas passiones secundario & ex conse-
quenti, ut si videlicet eas in subiecto immodera-
tas invenerint, moderentur: per se primò verò so-
lùm disponere appetitum ad faciliter & promptè
eligendum in propriis materiis conformiter ad ra-
tionem. Unde in primis parentibus in statu inno-
centiæ fuerunt hujusmodi virtutes per accidens
infusæ, in quibus tamen in eo statu nulla erat im-
moderata passio, cum per donum integritatis pars
inferior esset perfectè subiecta superiori. Quan-
vis ergo passiones immoderate in Christo non fue-
rint, nihilominus in ipso fuere virtutes morales
acquisite, vel acquisibiles, ut de temperantia do-
cet S. Thomas hic art. 2. ad 3. his verbis: *Concupiscentias pravas Christus omnino non habuit, nec
propter hoc tamen excluditur quin habuerit tem-
perantiam, quæ tamò perfectior est in homine,
quàm magis pravæ concupiscentiis caret. Unde
secundum Philosophum 7. Ethic. temperatus in hoc
differt à continente, quòd temperatus non habet
pravas concupiscentias, quas continens patitur.*

§. III.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferitur fuisse quidem in Christo ma-
gnificentiam, & liberalitatem, justitiam vindicativam, eutropeliam, & philotimiam, sed non
virtutem pie affectionis ad credendum.

D Primum docet D. Thomas hic art. 2. ad 3. &
probat hac ratione: Liberalitas & magnificentia
versantur erga divitias, non solùm illas distribuendo,
prout, quomodo, & quando oportet, sed etiam
illas penitus contemnendo, quod Christus perfe-
ctissimè fecit: exercuit etiam exteriorem liberali-
tatis actum, modo sibi convenienti, cum iussit
pauperibus erogari quæ sibi dabantur, & actum
magnificentie, quando pavit quinque millia ho-
minum in deserto. Magnificentiam quoque pro-
didit in structura præcellentiissimi operis, quale
nemo eorum qui magnificentissimi audierunt, un-
quam perfecit, nempe Ecclesiæ sanctæ.

E Quod etiam justitia vindicativa fuerit in Chri-
sto, sic ostenditur. Justitiæ vindicativæ (ut docet
D. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 1. & 2.) duplex
est actus: primus petere à legitimo iudice ultio-
nem peccati; secundus, injurias suas vel Dei de-
fendendo propulsare: Sed neuter ex his actibus
repugnat Christo, imò utrumque exercuit: pri-
mum cum Joan. 8. petiit adulteram lapidari, di-
cens: *Qui sine peccato est vestrum primus in eam
lapidem mittat.* In quo dicto Christum observas-
se justitiam docet Augustinus Tract. 33. in Joan. de
justitia vindicativa necessario intelligendus. Se-
cundum verò exercuit, cum Judæis Christo im-
properantibus quòd dæmonium haberet, & quòd

Zzz ij

in Beelsebuth ejiceret demonia, respondit: *Ego Daemonium non habeo* &c. ubi Theophilactus ait, *Christum honorasse Patrem suum ulciscendo*. Dei etiam injuriam propulsavit, cum factio ex funiculis flagello, de templo vendentes & ementes ejecit: Ergo &c.

§2. Major difficultas est de eutropelia, quæ cum circa jocos & ludos ut propriam materiam versetur, sicut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 2. non videtur fuisse in Christo, qui jocos & ludos nunquam exercuit. Nihilominus dicendum est, etiam istam virtutem in Christo fuisse: Tum quia sicut materia liberalitatis sunt pecuniæ non solum ut distribuendæ, sed etiam ut omnimodè contemnendæ; ita dici potest materia eutropeliæ esse jocos & ludos, non solum ut exercendos, sed etiam ut contemnendos: Christus verò jocorum & ludorum exercitum contempsit. Tum etiam, quia esto joci & ludi ut exercendi, sint materia eutropeliæ, & Christus eos efficaciter nunquam elegerit, absolute tamen electio efficax illorum, Christo non repugnabat, & de facto habuit actum conditionatum quo jocos & ludos sub conditione elegit, quod sufficiens est ut ipsi talis virtus conveniat. Ratio autem ob quam non elegit jocos efficaciter, est quia de rebus magnis agentem, ut Christus revera agebat, joci & ludi non decent. Ex quo infert Cajetanus, graviter peccare prædicatores, qui prædicationi Evangelicæ ridicula & jocos admiscunt; quia ut ait S. Doctor loco citato, in resp. ad 1. *Doctrina sacra maximis rebus intendit, secundum illud Proverb. 8. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum.*

§3. Quarta etiam pars corollarij, quæ asserit philotimiam fuisse in Christo, breviter suadet. Ei non repugnat habitus virtutis Philotimæ, cui proprius illius actus non repugnat: At Christo proprius actus Philotimæ non repugnabat: Ergo nec habitus illius. Major patet, Minor probatur. Proprius actus Philotimæ est parvos honores appetere, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 60. art. 5. & 2. 2. quæst. 129. art. 2. & quæst. 130. art. 2. ad 2. Sed hoc ab intrinseco non repugnabat Christo, licet enim ejus actibus ex dignitate personæ magni honores deberentur, ex aliis tamen capitibus poterant parvi honores illis actibus deberi, subindeque poterat Christus eos acceptare, eosque de facto acceptavit, cum turbæ clamarent: *Osanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini*: Ergo proprius actus philotimæ non repugnabat Christo, sed ipsum aliquando exercuit.

§4. Tandem probatur ultima pars in qua dicitur non fuisse in Christo virtutem piæ affectionis ad credendum: Tum quia in voluntate viatoris ad piam illam affectionem eliciendam non requiritur virtus seu qualitas habitualis, sed auxilium actuale sufficit, ut in Tractatu de virtutibus Theologicis probatum est. Tum etiam, quia esto talis virtus admittenda esset, illa tamen non potest reperiri nisi in eo in quo repetitur fides, cum essentialiter ordinetur ad determinandum intellectum ad credendum: At ista non potuit esse in Christo, ut primâ conclusionem ostendimus: Ergo nec illa.

Disp. 6.
art. 1.



ARTICVLVS IV.

Virum Christus virtutes morales per se acquisibiles, propriis actibus comparaverit, vel eas per infusionem acceperit?

Supposito quod Christus habuerit virtutes naturales & per se acquisibiles, ut articulo præcedenti ostensum est, restat explicandus modus quo illas accepit, & declarandum, an eas per infusionem habuerit in primo instanti suæ conceptionis, sicut docent communiter Theologi de Adamo, an verò eas propriis actibus sibi comparaverit: Hoc enim in Schola Thomistarum problematicum est, aliis asserentibus virtutes illas fuisse à Christo propriis actibus acquisitas; aliis è contra affirmantibus illas fuisse infusas animæ Christi à primo instanti conceptionis. Primum tenent Cabrera, Nazarius, Aravius, Cipullus, & Herrera in manuscriptis de Incarnatione: alterum defenditur à Medina, Alvare, Vincentio Asturicensi, Joanne à S. Thoma, & ab illustissimo Oxoniensi Episcopo, in manuscripto ejusdem tractatus. Huic etiam adherent sententiæ Suarez, & Vazquez, & alij ex modernis; illeque dicendi modus videtur probabilior, & dignitati ac perfectioni animæ Christi favorabilior. Unde sit

§. I.

Sententia affirmans virtutes morales per se acquisibiles, Christo fuisse in primo instanti suæ conceptionis infusas, ut verior & probabilior eligitur.

Deo igitur: multò probabilius est virtutes morales per se acquisibiles, Christo fuisse à primo instanti suæ conceptionis infusas.

Hanc conclusionem probat Suarez hic disp. 19. sect. 2. hoc discursu. Adamo, quia erat caput morale omnium hominum, fuerunt à primo suæ formationis instanti infusæ per accidens omnes virtutes morales: Sed Christus fuit multò perfectiùs caput totius generis humani, quàm Adamus: Ergo à fortiiori fuerunt illi infusæ omnes virtutes morales à primo conceptionis instanti.

Sed hoc argumentum non urget, ut enim docet D. Thomas 1. p. quæst. 94. art. 3. Adamo in primò instanti fuerunt infusæ per accidens species repræsentativæ omnium, & tamen utidem S. Doctor hic quæst. 9. art. 4. asserit, species illæ non fuerunt infusæ Christo à primo instanti conceptionis: Ergo ex Adamo ad Christum non potest efficax argumentum desumi. Unde

Vazquez conclusionem nostram aliter suadere nititur, hoc nimirum argumento: Si Christus ab initio conceptionis non habuisset omnes virtutes morales infusas, difficultatem habuisset in ordine ad bonum honestum: At inconueniens videtur difficultatem istam in voluntate Christi admittere: Ergo concedendæ sunt virtutes per se acquisibiles in anima Christi Domini ab instanti conceptionis, per quas summam promptitudinem ad bonum honestum habet.

Sed hæc etiam ratio, nisi aliunde juvetur, non videtur efficax: Nam licet inconueniens sit voluntatem Christi Domini habere positivam difficultatem ortam ex habitu vitioso, vel ex passionibus inordinatis appetitibus, quod tamen difficultatem negativam haberet, ortam ex carentia habituum, non videtur inconueniens, nec à prædicto Autho-